

*prodesse. Demum L. 2. §. 15. ff. pro emptore. ubi: Quod si scias pupillum esse, putes tamen, pupillis licere, res suas sine auctoritate tutoris administrare, non usucapies, quia juris error nulli prodest. Jus vero canonicum nihil quoad hoc immutavit.*

Dixi 1<sup>o</sup>. *per se loquendo*; excipi enim debent personæ, in quibus toleratur ignorantia juris, ut sunt miles, minorennis, *L. 9. pr. et §. 1. ff. de I. et F. I.* Etiam alias feminæ, non tamen ubi certant de lucro captando, sed tantum ubi de damno vitando, *L. 9. pr. cit. L. 11. C. eod.* Porro rustici iis in materiis, in quibus eos iudex commiseratione dignos æstimaverit, *L. 1. §. fin. de eden.* ac proin etiam tunc tantum, ubi de vitando damno certant.

2<sup>o</sup>. *Saltem ordinariam*; probabilius enim non obest ignorantia juris bonæ fidei ad præscriptionem extraordinariam, sive longissimi temporis, ad quam sufficit titulus præsumptus. Ratio est; quia ubi titulus non requiritur, sed sufficit præsumptio illius, ibi ignorantia juris non potest obesse præscriptioni; sed in præscriptione longissimi temporis titulus non requiritur, sed loco tituli illius præsumptio est; ergo. *Maj. prob.* Ignorantia enim juris solum ideo obest, quia fundat titulum, quem jura improbant; ergo si titulus non requiritur, etiam obesse non potest ignorantia juris. *Min.* patebit ex dicendis de titulo.

396. *Dices 1.* Si ignorantia juris est invincibilis, habetur bona fides; ergo potest cum ignorantia juris inchoari præscriptio.

*R. D. Maj.* Habetur bona fides tantum theologicæ talis *C.* etiam juridicæ talis *N.* Prior sola autem non sufficit, sed etiam requiritur altera, ut tenet communis contra *MEDINAM* et alios.

*Dices 2.* Leges a nobis citatæ fundantur in præsumptione malæ fidei, nempe in præsumptione scientiæ juris, *c. 82. de R. I. in 6. Qui contra Jura mercatur, præsumitur bonam fidem non habere*: sed si ignorantia est invincibilis, cessat præsumptio hæc.

*R. N. Maj.* Etsi enim forte ex una alterave lege ita argui posset; tamen, *L. 2. §. 15. ff. pro empt.* hanc assertionem nullo modo recipit; clare enim dicit: *Si scias pupillum esse, NB. putes autem, etc.* ubi supponit lex, adesse opinionem, quod liceat cum pupillis contrahere, quæ opinio est error in jure, et tamen nulla esse præscriptio declaratur. Igitur jura proprie hic non præsumunt, sed fingunt malam fidem; ac verbum præsumitur in *c. 82. cit.* striete sumi non debet.

*Dices 3.* Jus canonicum illam solum malam fidem videtur excludere, quæ constituit peccatum grave injustitiæ: atqui ignorantia juris, si invincibilis sit, nullum prorsus peccatum constituit, sed ab hoc excusat, ut certum est omnibus Theologis; ergo hanc ignorantiam neque excludit jus canonicum.

*R. N. Maj.* Jus canonicum enim solum improbavit malam fidem cum peccato, quam jura Cæsarea admittebant: in cæteris autem, quæ pariter jus Cæsareum requirit ad præscriptionem, nihil jus canonicum immutavit, quia non habuit causam mutandi, cum in iis nulla subsit peccati materia. Deinde notissimi juris est, ea, in quibus jus canonicum nihil disposuit aliter, esse juxta leges civiles regulanda, juxta *c. 1. de N. O. N. Sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum*

*Principum constitutionibus adjuvantur*: atqui jus canonicum hic aliud non disposuit; ergo.

*Dices 4.* Si ignorantia et error juris impediatur præscriptionem ordinariam, pariter impediatur etiam extraordinariam, quia, *L. 31. ff. de Usurp. et Usucap.* simpliciter dicitur, quod *nunquam* possessori prosit error juris.

*R.* Particulam *nunquam* sumi debere ad mentem *L. cit.* sed lex illa in *ff.* nequit accipi de præscriptione extraordinaria, quia hæc in Digestis est incognita, quæ tantum de ordinaria agunt. Sic et *L. 7. C. h. t.* dum ait simpliciter, quod error juris faciat malæ fidei possessorem, de sola præscriptione ordinaria, utpote de qua sola ibi sermo est, debet intelligi.

*Dices 5.* In *c. Dudum. de Decim.* Fratres Hospitalis cujusdam Præscriptionem fundabant in donatione facta a rege, qui non poterat donare rem Ecclesiasticam; contra quos pronunciat INNOCENTIUS III. *Nos igitur, cum donatores prædicti conferre non potuerint aliis, quæ ipsi de jure non poterant possidere, etc. prohibemus, ne Fratres Hospitalis præsumant ulterius impedire, quo minus decimas percipias, etc.* non obstante, quod præscriptionem allegarent.

*R.* In hoc *cap.* non exprimitur, quod fuerit allegata præscriptio longissimi temporis; sed potius indicatur contrarium; nam altera pars replicavit contra prætentam præscriptionem duplici ex capite: 1. quod titulus a dictis Fratribus allegatus sit inhabilis et jure reprobatus; 2. quod tempus requisitum nondum effluerit, ut adeo hinc nostra potius stabilietur sententia.

## ARTICULUS III.

AN SEMPER NECESSARIA SIT FIDES POSITIVE BONA, VEL ETIAM NEGATIVE BONA SUFFICIAT? AC QUOMODO FIDES AUCTORIS PROSIT, VEL OBSIT SUCCESSORI IN ORDINE AD PRÆSCRIBENDUM?

397. *Præmitto.* Dubio practico inchoari præscriptionem haud posse, ex dictis Art. præc. liquet; sed et cum eodem nec continuari posse, longe tutior est sententia, atque etiam probabilior, 1<sup>o</sup>. spectata auctoritate; cum præter paucos, ENGEL, GLETLE, MOLINA, vix alius contrarium asserat: 2<sup>o</sup>. spectatis rationibus; nam 1. id non obscure videtur decerni, *L. 32. §. 1. ff. de Usurp. et Usucap.* ubi: *Si quis id, quod possidet, non putet sibi per leges licere usucapere, dicendum est, etiamsi erret, non procedere tamen ejus usucapionem, vel quia non bona fide videatur possidere, vel quia in jure erranti non procedat usucapio*; quæ lex agit de possidente jam, ac proin de præscriptionis continuatione. Deinde quia præscriptionem continuans cum dubio practico peccat formaliter contra *justitiam*, saltem *effective*, quod respectu talis idem est, ac si *effective* læderet, cum ita comparatus sit, ut possidere velit, etiamsi jus alterius *effective* lædat, quod revera sic possidendo lædere potest. Novi, dici posse, etiam deposito dubio practico, adhuc realiter remanere periculum lædendi jus alienum; æque, ac si non esset depositum; verum cum per principia extrinseca ipsius juris deponendo dubium practicum constituatur in bona fide, statque moraliter certus, se hic et nunc juste possidere, si quæ tamen forte (nam etiam subesse po-



test) subesset juris alieni læsio, hæc se haberet quasi per accidens, sicut respectu cujuslibet bonæ fidei possessoris.

Sola igitur controversia remanet de dubio speculativo, sive an sufficiat fides solum *negative bona*? quam Artic. præc. descripsimus. Ac dupliciter institui potest quæstio; 1º. an sufficiat ad continuationem præscriptionis? 2º. An etiam ad ejus inchoationem?

398. *Dico I.* Non est necessaria fides positive bona, sed sufficit negative bona 1º. ad præscriptionis continuationem; 2º. et ad ejusdem inchoationem, ac proinde dubium speculativum præscriptionem sive superveniens possessioni jam cœptæ, sive illam antecedens non impedit.

*Pars 1ª.* est communis auctorum, nullo, quem sciam, contradicente. Ac ratio est, quod per possessionem bona fide cœptam melior reddatur conditio possidentis; ergo non obstante dubio speculativo, an res aliena sit, possessor præscriptionem continuare potest, ac sibi formare dictamen practicum, de suæ actionis, vel possessionis justitia per principium reflexum: *In dubio, melior est conditio possidentis*: ac, postquam debita diligentia in veritatem inquisivit, ita se resolvere: etsi forsitan res hæc aliena sit, quia tamen, jure sic statuente, melior est conditio possidentis, in dubio illam possidere ut meam possum licite pergere. Id quod etiam plures extendunt ad casum, quo possessori videatur probabilius rem non esse suam, eo quod idcirco nondum habeat proprie conscientiam rei alienæ, et possessio adhuc præponderet, vel certe probabilitati contrariæ æquivalet; sicque conjuncta cum probabilitate, quæ stat pro possessore, prævaleat rationibus oppositis, sive oppositæ probabilitati.

*Pars 2ª.* quam tenent Vasquius, *illustr. Controv. Lib. 2. c. 77.* ENGEL, *hic*, SCHMER, PICHLER, contra plurimos,

*Prob. 1º.* Potest cum dubio speculativo tam positivo quam negativo, sive fide solum negative bona continuari præscriptio juxta adversarios, quia mediante principio extrinseco, in jure fundato et recepto, scilicet, *melior est conditio possidentis*, deponi potest dubium practicum, ac formari dictamen practicum, sive prudenter judicari, quod licite continuetur possessio: atqui etiam inchoans præscriptionem tum hoc ipsum principium, tum alia æque firma et in jure recepta habet ad deponendum dubium practicum. *prob. min.* in casu: vis prædium emere a Titio, sed dubitas negative, vel etiam positive ob rationem probabilem in utramque partem, utrum revera Titius sit prædii dominus, in hoc casu sic potes ratiocinari: *Nemo præsumendus est malus, et malæ fidei possessor, nisi probetur clare, arg. c. fin. de præsumpt. L. 31. ff. pro socio. L. 30. C. de evict.* sed clare mihi non probatur, quod Titius sit malus, vel possessor malæ fidei; ergo credendum mihi est, quod mihi rem suam vendat; ergo prudenter judico, quod sit possessor bonæ fidei, ac licite mihi vendat; ergo et licite emo, ac possideo, etiamsi forsitan esset aliena; nam juri vendendi ceu correlativum respondet jus emendi. *Item*: in dubio melior est conditio possidentis; ergo credere debeo Titium esse dominum; ergo et licite emo prædium, ac tanquam meum possidere incipio, cum nulla sit ratio, cur jus suum, ac meliorem conditionem transferre non possit.

399. *Prob. 2º.* Jus canonicum, dum correxit jus civile ratione fidei ad præscriptionem requisitæ, *c. fin. de Præscript.* requirit fidem, quæ excludat scientiam rei alienæ, et sic peccatum injustitiæ: *Oportet, ut, qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ*: atqui dubitans speculative, vel habens fidem negative bonam, non habet scientiam rei alienæ. Certe si juxta Adversarios non habeatur scientia rei alienæ per dubium speculativum, superveniens præscriptioni jam cœptæ, nec dici potest, quod per dubium speculativum antecedens habeatur scientia rei alienæ, dum inchoatur præscriptio; quia *c. cit.* tam de inchoatione, quam continuatione aperte loquitur, dum inquit, *in nulla temporis parte.* Vel igitur ob dubium speculativum nullibi habetur scientia rei alienæ, vel utrobique; et sic nec continuari cum illo præscriptio posset.

Confirmantur dicta hactenus inde, quod, si cum dubio speculativo inchoari non posset præscriptio, ea perraro, et vix unquam haberet locum, cum vix habere possimus certitudinem moralem, eum, qui nobis vendit, donat, etc. esse dominum; ac dominia rerum possessionis primum ac præscriptionis jure reddantur certa; hinc enim in emptionibus, venditionibus tam caute ac provide exigi cautio solet de præstanda evictione; ac passim Jurisconsulti aiunt, per emptionem non nisi conditionatum rei dominium acquiri, ac solum dari usucapiendi causam. Illud tamen concedi debet, quod et Adversarii concedere debent de eo, qui præscriptionem continuat, dubium non debere esse *crassum*, quod debita veritatis inquisitione tolli posset, sed in quam inquirere præscribens non vult, vel studiose negligit; cum dubium hoc æquivalet scientiæ; proinde nec peccatum excludat, nec patiat per principia extrinseca formari dictamen practicum de justitia possessionis.

400. *Obj. I.* Qui dubius speculative rem occupat, male agit; ergo. *Prob. Ant.* quia sine sufficienti ratione se præfert aliis; nescit enim, utrum res sit sua, vel non.

R. 1º. *Retorq.* in eo, qui dubius speculative rem occupatam possidere pergit.

R. 2º. *N. Ant. et huj. prob.* nam causa se præferendi aliis sufficiens et titulus est tum contractus emptionis vel similis, tum possessio illius, qui rem tradit, et præsumptio, quod is, a quo accipitur, sit verus dominus, ac possessor bonæ fidei.

*Inst. 1.* Speculative dubius se exponit periculo occupandi rem alienam; ergo revera peccat, sicut dum testator legatum fecit, sed dubium est, cui legatum fecerit, Caio, an Sempronio, si quis eorum legatum occupat, injuste agit, quia id facit cum periculo lædendi jus alterius.

R. 1º. Sic etiam se periculo exponeret retinendi rem alienam, qui speculative dubius rem possidere pergit.

R. 2º. *D. Ant.* Se exponit periculo lædendi jus alterius materialiter *C.* formaliter *subd.* si non deponat dubium practicum *C.* si hoc deponat *N.* Etsi talis forte lædat jus alterius, non tamen peccat formaliter, uti neque, Adversariorum consensu, qui sic præscriptionem continuat. Quoad legatum est *disparitas*; quia ex iis duobus alteruter illud occupans, velut si Caius, nullum haberet pro se speciale principium aliquid juris, possessionis, præsumptionis, cum titulus, qui competere posset uni, idem æque competat alteri.



*Inst. 2.* Inchoans præscriptionem cum dubio speculativo habet se sicut iudex: atqui iudex in dubio nequit adjudicare causam uni sine periculo injuriam facienti parti alteri; nec etiam hoc iudici eo casu permissum est; ergo.

*R. N. M. Disparitas* est, quod pro iudice non stet similis titulus, vel præsumptio, ubi utriusque partis paria momenta sunt, vel res est dubia, sed vi officii tunc debet ferre sententiam secundum jura partium. Aliud ex dictis est de eo, qui præscriptionem inchoat; is enim possessionem alterius, præsumptionem pro se habet. Sed vel hinc a iudice confirmatur conclusio; si enim pro una parte stet præsumptio juris et possessio, huic totum adjudicare debet; ergo et hic in nostro casu juste præscriptionem inchoat, quia pro hoc stant eadem adminicula juris sicut juxta Adversarios pro eo stant, qui præscriptionem continuat.

*Inst. 3.* Non sequitur, licet præscriptionem continuare cum dubio speculativo, ergo etiam inchoare; ergo. *Prob. Ant.* Sic femina, quæ nupsit viro, quem ignorabat jam habere uxorem, potest continuare cohabitationem cum illo, licet superveniat dubium speculativum, annon jam uxorem habeat; non tamen hinc inferre licet, igitur etiam cum hoc dubio cohabitationem inchoare licet, juxta *Can. si virgo. C. 34. Q. 1.*

*R. D. Ant.* Si præscriptionem inchoans non habeat æque sufficiens fundamentum deponendi dubium practicum, ac continuans *C. secus N.* Ita per occupationem rei, cujus dominus extare præsumitur, non potest inchoari præscriptio ante, quam prudenter judicetur derelicta, quia alias deest sufficiens fundamentum deponendi dubium practicum.

*Ad prob. disparitas est*, quod in dato casu pro puella nec stet juris præsumptio, nec possessio, sed potius pro primo matrimonio; deest igitur et hic fundamentum deponendi dubium practicum. Ac quidem *Can. cit.* de ea loquitur, quæ plane nescivit, virum esse alteri uxori junctum, dum ei nupsit, ait enim, si nesciens viro nupsit, non de ea, quæ dubitabat.

401. *Obj. II.* Dum proprietas rei aliquot annis possessæ per contestationem litis evadit litigiosa, lite durante non præscribit possessor in foro externo; ergo nec præscribere potest, dum per dubium speculativum litigiosa redditur in foro conscientie; pro hoc enim foro se habet illud dubium, quantum pro externo se habet actor, qui litem movit.

*R. C. Ant. N. Cons. et rat.* Pendente lite in foro externo adhuc pro nulla parte habetur iudicium, hinc pro hoc foro subtilitate juris tantisper fingitur, deesse aliquod requisitum ad præscriptionem, et tempus non computatur ante finitum iudicium, juxta dicenda de interruptione præscriptionis; at in foro interno possessor ipse, non obstante dubio speculativo, potest sibi formare iudicium, sive dictamen practicum. Ut adeo vel ex hoc ipso probetur conclusio; nam sicut in foro externo, quando lata est pro possessore sententia, interruptio cessat ac si præscriptio nunquam interrupta fuisset; ita dum pro foro interno possessor ex principiis juris sibi format iudicium, secure ac juste præscribit. Et vero sic debent respondere Adversarii quoad præscriptionis continuationem.

402. *Obj. III.* Dum formatur dictamen practicum per principia juris, hoc

ipso non manet fides negative bona, sed fit bona positive; si enim iudicare possim, quod Titius venditor sit bonæ fidei possessor, etiam recte iudico, quod res, quam ab eo emo, aliena non sit; ergo.

*R. 1º.* Ergo ex data ratione neque continuari potest præscriptio cum fide negative bona, quia per principium juris: *In dubio melior est conditio possidentis*, inducitur fides positive bona; quidquid igitur hic respondebunt adversarii, simul nobis inserviet. Sed

*R. 2º. N. Ant. ad prob. T. A. N. Cons.* Etsi enim, qui præscriptionem inchoat, sic iudicare possit juxta nos, quod res aliena non sit; quod universaliter non tenet, cum dominium rei et proprietas sæpe probari non possit; iudicium tamen hoc non est necessarium; sed satis est, quod iudicem Titium e. g. venditorem esse bonæ fidei possessorem, cum quo iudicio stat fides negative bona, et manet dubium speculativum de proprietate rei. Quod si per dictamen practicum quis contenderet iudicari de proprietate rei, id non satis perite fieret, cum hoc præcise actionis licentiam attingat.

403. *Dico II.* Bona fides auctoris prodest successori tam universali, quam singulari, adeo, ut, nisi in his mala fides superveniat, possint accessione temporis uti, id est, computare tempus possessionis, quo auctor bona fide possedit, illudque conjungere cum tempore suæ possessionis in ordine ad complendam præscriptionem. *Auctor* vero hic dicitur, qui primus possidere cœpit, *successor*, qui in re ab auctore possessa succedit; estque 1º. alius *universalis*, qui in universum jus honorum auctoris succedit, ut hæres; alius *singularis*, qui in re aliqua particulari determinata succedit, sive titulo singulari, ut emptor, legatarius. 2º. Alius *immediatus*, qui immediate, alius *mediatus*, qui mediate auctori succedit, h. e. qui succedit primum successori immediato.

*Ratio Conclusionis* est; quia auctor vult in successorem transferre jus, quod habuit: atqui inter auctoris jura etiam est hoc, quod est cœpisse præscriptionem bonæ fidei; ergo et hoc transfert.

404. *Dico III.* E contra mala fides auctoris obest successori immediato universali adeo, ut nec hic uti possit accessione temporis; nec incipiendo a possessione propria complere possit saltem præscriptionem ordinariam.

*Ratio est*, quia defunctus, et hæres ejus immediatus sunt fictione juris una eademque persona; ergo possessio hæredis immediati æque infecta est, ac possessio auctoris defuncti. *Ant. constat ex L. 11. C. de acquir. vel amitt. poss. L. 11. ff. de divers. temp. præser. ubi: cum hæres in jus omne defuncti succedat, ignorance sua defuncti vitia non excludit.*

*Dixi: 1º. Successori*, etc. id est, *hæredi*; qui enim alteri succedit in officio, vel beneficio, quia non succedit ut hæres, sed titulo collationis, hic non comprehenditur. *Item*, excipitur, qui rem ab auctore possessam mala fide, alio possideret titulo quam hæreditatis, ut emptionis, etc. Sic enim quoad hoc non est eadem cum illo persona.

2º. Saltem *ordinariam*; nam extraordinariam inchoare probabilius potest a tempore, quo ipse possidere cœpit; quia jus civile imprimis quoad præscriptionem longissimi temporis vel extraordinariam bonam fidem veram non requirit; ergo multo minus mala fides ficta oberit juxta jus civile; jus



vero canonicum, dum jus civile corrigit, non attendit malam fidem fictam, sed solum veram, et peccato conjunctam; hoc vero mala fides ficta non involvit. Talis igitur præscribet, non tamen titulo *pro hærede*, sed præsumpto. Ita VASQUIUS, PICHLER contra alios.

*Si dicas 1.* Juxta hanc rationem etiam æque posset inchoare præscriptionem ordinariam.

R. N. *Illat.* Quia leges civiles nunquam permittunt inchoari posse præscriptionem ordinariam cum mala fide etiam ficta; permittunt tamen in præscriptione extraordinaria, ut ante ostensum; igitur cum jus canonicum nihil immutarit, quoad malam fidem fictam, nec hanc attendat, sequitur hanc non obesse præscriptioni extraordinariæ.

*Si dicas 2. L. 11. ff. de divers. temp. præscr. cit.* loquitur universaliter; ergo et ad præscriptionem extraordinariam extendi debet.

R. N. *Ant.* nam in *ff.* nondum agitur de præscriptione extraordinaria; ergo tantum de ordinaria intelligi debet *L. 11. cit.*

*Dico IV.* Non tamen nocet mala fides auctoris successori universali mediato.

*Ratio est;* quia hæres mediatus, utpote hæres hæredis non censetur unaciviliter persona cum auctore primo malæ fidei; igitur si hæres immediatus habuit bonam fidem veram, licet fictione juris tanquam successor immediatus habuerit malam, successor mediatus a se ipso præscriptionem ordinariam inchoare et complere potest, cum hic malam fidem fictam non habeat; in jure enim non datur duplex fictio in eadem causa, sive fictio fictionis; et proin mala fides ficta successoris immediati non causat malam fidem fictam in mediato, sicut umbra non causat umbram.

*Si dicas:* Hæres mediatus debet solvere onera hæredis immediati, si hic non satisfecit, *c. ult. de sepult. et c. 5. de raptor.*; ergo etiam rem ipsam, quam defunctus mala fide possedit, restituere; ergo semper tenetur restituere, et nunquam potest præscribere.

R. D. *Ant.* Si nondum est præscriptum *C.* si est *N.* Deinde *citt. cc.* loquuntur de hærede immediato.

403. *Dico V.* Mala fides auctoris non nocet successori singulari in rebus mobilibus; sed potest earum præscriptionem ordinariam inchoare a se ipso. Habetur *L. 5. ff. de divers. temporal. præscr.* ubi dicitur, vitium auctoris non obesse emptori, vel legatario.

*Ratio est;* quia mala fides est vitium personale, ergo personam auctoris non egreditur; ergo non transit ad successorem singularem, qui ne quidem fictione juris est eadem cum auctore persona, in eoque insuper differt a successore universali.

*Dixi: in rebus mobilibus;* nam quoad res immobiles, has præscriptione ordinaria præscribere non potest, si auctor eas mala fide possedit, et in successorem singularem alienando transtulit, ut si huic, ignorante domino vendidisset pignus, aut plane rem furtivam, *Auth. malæ fidei. C. de Præscr. long. temp. desumpta ex Nov. 119.* licet ibid. ipsi non prohibeatur, sed expresse permittatur præscriptio extraordinaria 30. annorum.

## ARTICULUS IV.

QUALIS TITULUS REQUIRATUR ET SUFFICIAT AD LEGITIME PRÆSCRIBENDUM?

406. *Præmitto:* Bona fides fundatur in titulo justo. Titulus vero justus hoc loco nihil aliud est, quam *causa ad transferendum dominium habilis*. Ex jure sequentes sunt: 1º. Titulus *pro soluto*; locum habet, quoties vel debitor verus rem alienam, vel non debitor rem suam in solutum dedit, alter vero illam bona fide accepit, *L. 46. 48. ff. h. t. 2º. Pro suo*, specificè sumptus est, dum quis res, quæ nullius sunt, usucapit bona fide. *L. 2. ff. h. t.* vel si quis res possidendo usucapit, quas bona fide putat nullius esse; velut, si quis pecuniam securitatis causa in terra defossam thesauri loco apprehendat: 3º. *Pro emptore*, dum quis rem alienam a non domino bona fide emit: 4º. *Pro hærede, vel pro possessore*, quando hæres, vel honorum possessor in hæreditate delata rem alienam sine mala fide tum sua, tum defuncti possidet, *L. pen. ff. h. t. 5º. Pro donato* usucapit, quicumque rem alienam donationis causa traditam bona fide accepit, modo vera ac valida sit donatio, nec revocabilis, *L. 1. ff. h. t.* hinc donatio mortis causa non est justus usucapiendi titulus. 6º. *Pro derelicto*, dum res aliena a non domino habita pro derelicta occupatur bona fide; sicque dicitur ab hoc usucapi titulo pro derelicto. Unde *stricte loquendo* ad res amissas et bona naufragorum non pertinet continuo; eo tamen aliquando extenditur. 7º. *Pro legato* dicitur usucapere, qui rem alienam legatam bona fide accepit, *L. 1. 2. 4. ff. h. t. 8º. Pro dote*, qui rem alienam pro dote accepit, quam hoc titulo præscribit constante matrimonio, *L. 1. cit.* Ex his duo priores, *pro soluto*, et *pro suo* sunt simul tituli generales, eo quod præterea cum cæteris titulis specialibus concurrant; quicumque enim possidet pro emptore, donato, etc. simul etiam pro suo, et pro suo soluto possidet.

Porro divisione alia, quæ hic maxime observanda, titulus est quadruplex: 1º. *Verus*, quando re ipsa subest causa habilis ad transferendum dominium, ut si re vera rem a vero domino emptione, donatione, vel simili ex recensitis modis acceperis. 2º. *Coloratus*, quando re vera intervenit titulus alias habilis, sed nulliter ex aliqua causa, latente tamen, ut si is, qui rem tibi vendit, donat, etc. re ipsa dominus non sit, quod tamen ignoratur. 3º. *Existimatus*, dum inculpabiliter putas, te rem habere ex causa habili, quæ tamen nec vere, nec apparenter præcessit, ut si hæres inter res hæreditarias rem alienam possideat, quam bona fide, sed erronee putat testatoris fuisse. 4º. *Præsumptus*, quando jura ob diuturnitatem temporis, quo quis rem possedit, præsumunt intervenisse causam habilem, licet hæc ob diuturnitatem temporis nec designari, nec allegari possit, ut adeo hoc casu diuturnitas suppleat defectum tituli alias requisiti.

407. *Dico I.* Ad omnem præscriptionem ordinariam requiritur aliquis titulus; non tamen necessario verus; sed sufficit coloratus, vel existimatus.

*Ratio 1ª part.* est; quia sine titulo non potest quis esse bonæ fidei possessor; nec enim prudenter judicare potest, se rem, quam habet, juste possidere, idque adeo verum est, ut, si etiam in præscriptione extraordinaria